

55 que sphaericum suis insignibus addidit, quasi primus ejus peruestigator extiterit. Et eisdem titulis, & Insignibus deinceps ejus in regno successorum usi sunt, ut tradit Frat. Anr. de S. Roman. d. lib. 1. c. 10. in fin. pag. 54. quos splendidissimos esse, & à Deo gloriose concessos, merito testatur Joan. de Barros decad. 1. lib. 6. cap. 1. & Alan. Cop. Dial. 6. cap. 36. pag. 951. & P. Rebell. de obligat. justit. lib. 13. quest. 23. sect. 3. & Seraph. Freit. d. tract. de Imper. Asiatic. c. 8. & cap. 14. num. 33. & seqq. ob id, quod Reges ipsi non tam propria commoda, & temporarium Regnorum augmentum, quam ipsius Dei laudem, & Catholicæ Fidei propagationem semper in votis haberint: de quo plurima tradunt Auctores supra citati, præcipue Boter. & Fr. Alphons. Fernandez, Maluend. dicit. lib. 3. de Antiquitat. cap. 7. in fin. pag. 123. Didac. Valdes de dignit. Reg. Hispan. cap. 19. num. 54. & seqq.

57 Nulla quippe classis instructa, nullave expeditio inita fuit, in qua non primum locum Evangelicæ prædicationis cura obtineret, & ministrorum electio ex Dominicano, Francisc. Augustiniano, & Jesuitarum Ordinibus, & aliis probatæ vitæ Presbyteris, per quos dignè res tanta tractari posset. Quod merito laudibus extollit Thom. Boc. lib. 4. de sign. Eccles. Dei, cap. 2. pag. 129. & 130. ubi numerat viros religiosos, qui maxime in hoc munere profecerunt.

58 Et inter eos præcipuam laudem omnium consensu B. Francisc. Xaverio Societatis Jesu deberi ait: Is enim postulante Joanne Lusitanæ Rege à Paulo III. Pontifice maximo ad id muneris designatus cum potestare Legati à Latere, Ulyssipone solvens anno 1541. cunctas oras, quas Oceanus ab Indico mari usque ad extremos Sinas circumfuit, & sic dimidium ambitum totius Orbis, Evangelicæ prædicatione illustravit. Et præsertim Insulam Japonii, in qua altissima religionis fundamenta jecit anno 1549. linguarum, & prophetiæ donis ab Spiritu sancto donatus, quibus plusquam trecenta hominum millia ab impiis ritibus ad Christianum cultum perduxit, obiitque anno 1552. Indicæ peregrinationis undecimo, in insula Santiano, Sinis adjacente, multis miraculis in vita, & post mortem conspicuis, corporeque & vestibus ejus integris, & suaviter olentibus post plures menses ab humatione repperit, prout hodie etiam in urbe Goa majori miraculo repperit, ad quam ex Malaca traslatum fuit; ubi tamquam verus, & novus Indiæ Apostolus veneratur, & eodem ferè in honore apud Indos habetur, quo apud Italos D. Franciscus de Assisio. Et hoc ipso, quo hæc scribimus anno 1622. sub die 12. mensis Martii à Sanctissimo D. N. Gregorio XV. Roman. Eccles. Pontif. Opt. Max. summâ totius Orbis alacritate & consensione inter Divos relatus est, piis ac gloriosis, & admirandis ejus gestis, atque virtutibus id suo veluti jure justissimè postulantis. De quibus qui veliit plura, legat Maff. Heft. Turselin. & Joan. Lucenam, qui ejus vitam lucidissimis commentariis prosecuti sunt, & omnes ferè Auctores, quos supra citavimus, & præcipue Boter. & San Roman. & Fr. Alphons. Ferdinand. lib. 2. de histor. Eccles. nost. temp. ex cap. 34. usque ad 39. Alan. Cop. Dialog. 3. cap. 29. pag. 443. & seqq.

Pet. Dam. dicit. Dialog. 4. fol. 327. 332. & 335. eundem Boc. lib. 6. cap. 3. pag. 220. & lib. 12. cap. 21. pag. 547. ubi ejus vitam celestem fuisse affirmat; Rutil. Benzen. de anno jubil. lib. 1. c. 9. pag. 48. Theatr. vitæ humanæ, lib. 3. volum. 27. pag. 4095. Ubi tradit ordinem, quem summus hic vir in convertendis & catechizandis Indis observabat: Frat. Thom. à Jesu de proc. omn. gent. sal. lib. 2. part. 1. cap. 5. P. Gualter. in Chronograph. pag. 739. & Par. Gordonus ex anno 1541. usque ad 1552. Jarric. in Thesaur. rerum Indicarum, lib. 1. cap. 6. & seqq. & novissimum Ferdinand. Mendez. Pinto in suis peregrinat. ex c. 203. usque ad 218. & Mendozam lib. 1. Reg. cap. 2. pag. 675. Freitas de Imper. Asiatic. c. 18.

Beatissimus quoque vir Ignatius à Loyola, 59 qui ejusdem Societatis Jesu primus Fundator, & Præpositus extitit, & propter eximium religionis zelum, vitæ & instituti miracula, eadem die, quâ Beatus Xaverius inter Sanctos referri meruit, hæc Indiæ Orientalis conversionem pro virili sua ardentissimè procuravit: Nam, ut ait Maff. lib. 16. histor. Indiæ, pag. 389. non solum opi divinæ implorandæ assiduis per se, perque socios votis & supplicationibus excubabat, sed ministros in tam arduam expeditionem, tamque laboriosam, atque longinquam iter alacriter offerebat; & etiam fessa jam ætate, viribusque, suum ipse nomen & operam Summo Pontifici sponte detulerat: eumque ejus ætati & valetudini, maximis præterea occupationibus parceretur, accuratâ meditatione ad Claudium Æthiopiæ Imperatorem, & Abyssinorum Regem, ejus Davidis filium, cujus supra mentionem fecimus, gravissimas & plissimas literas scripsit, quibus Patriarcham, & duodecim socios commendavit, quos ad eum Apostolicâ auctoritate mittebat, & simul missionis causas exposuit, & Primatum, ac unitatem Romanæ Ecclesie luculenter adstruxit, Regemque, ut ad Italiam rediret, permovit. Quarum literarum tenorem hic libens insererem, nisi Latino sermone legi possent apud Maff. dicit. lib. 16. ex pag. 389. usque ad 394. & Hispano apud Fr. Anton. de San Roman. lib. 4. histor. Orient. c. 26. ex pag. 767. ad 773. ubi etiam titulos addit, quibus ille utitur Imperator.

Cum autem hic zelus disseminanda, & propaganda fidei in omnibus Portugallie Regibus extiterit, maximus tamen fuisse conspicitur in Emmanuele, ut multa, quæ circa hoc dixit, gessit, & sanxit, aperte demonstrent, de quibus passim prædicti Auctores mentionem fecerunt: Sed inter alia dignissima scitu est pia illa & devota legatio, quam anno 1523. ad Leonem X. Pontif. Maxim. cum elegantissimis literis misit, quibus de regionibus in India detectis, Goa, Ormuzio, Malacâ, & aliis urbibus à suis Ducibus subjugatis, & à Mauris ereptis, illum certiorum effecit, & obedientiam tantarum Provinciarum nomine, & Sanctæ Apostolicæ sedis humiliter promisit. Pretiosis simul donis oblati, rarisque, & exquisitis frugibus, aromatibus, & animalibus ab eadem India adductis, cujus opum primitias religionis causa libandas existimavit. Quæ omnia Romæ, & novitatis, & pietatis ergo magnæ lætitiæ, & admirationi fuerunt: præsertim cum Rex in prædictis literis enunciaret, inter bellicos illos successus, di-

divino suffragante Numine, per universam Indiam plurimos Spiritus sancti gratiâ, igneque afflato, depositis gentilitis erroribus, in dies ad nostram Religionem conversos, veram Dei Fidem agnovisse, & ob id summas ei gratias merito referendas, quod tam procul à nostro Orbe, in tam remotis regionibus Lusitanorum operâ sedulo suam veram Fidem, cultumque celebrari, publicari, ac propagari dignatus esset, sperandumque fore, extremas Orientis oras, quæ & sacras Apostolorum voces intonuisse, compertum est. Occidentalibus propediem jungendas, & ad Dei veritatem, ipsius suffragante Numine traducendas, Sanctæ Sedis Apostolicæ, Christiani gregis more, debitum obsequium, & obedientiam oblaturas.

Cajus Epistolæ, & legationis meminerunt Dam. Goës, & Hieron. Osor. lib. 3. de reb. gest. Emman. Paul. Jov. lib. 18. hist. cap. 8. Maff. lib. 5. histor. Ind. pag. 123. Petr. Dam. Dialog. 4. de var. hist. cap. 19. pag. 301. Alphons. de Alburquerque in suis Comment. 3. part. cap. 31. ubi refert elegantem orationem, quam Camillus Portius tunc temporis coram eodem Pontifice habuit, expunctionem urbis Malacæ, & alia Lusitanorum in India præclara gesta commemorando: Illesc. in histor. Pontif. 2. p. lib. 6. cap. 22. Fr. Anton. de San Roman. lib. 2. hist. Orient. cap. 6. pag. 228. Petr. Opmeer. in opere Chronogr. pag. 449. & epistolæ verba ad literam inveniuntur in relationibus Novi Orbis pag. 184.

Extat quoque aliud non minus nobile monumentum hujus curæ & pietatis, quam Lusitanæ Reges circa Indorum Orientalium conversionem adhibuerunt, in Epistola illa, & quam Joannes Rex Emmanuëlis filius, hujus nominis tertius, ad Joannem Castrum ejus in eadem India Vicarium, sive Proregem scripsit; ubi postquam ei scriis, ac gravibus præceptis plurima injunxit, quæ ad Indorum idolatriam tollendam, Fidem promovendam, templa edificanda, & Lusitanorum militum, ac mercatorum excessus cohibendos, pertinebant, tandem concludit: Quod quidem in ista mea ditione mihi primum omnium & maximum est obsequium Dei, & Christianæ religionis amplificatio. Atque vi omni ex parte integri, ineluctesque serventur, qui à demonum castris ad Christiana signa transferunt: & citra tumultum ac vim, hoc presentium initio quam lenissimè populos rationibus, ac disputationibus edoceri, quanto in errore, ac veritatis ignoratione versentur: quamque vel perversum, vel impium sit cultum, uni debent Deo, simulacris, lapidibusque ab homine tribui. Cujus epistolæ verba leguntur apud Maff. d. lib. 12. pag. 309. & ab eo sumpsit Fr. Thom. à Jesu, lib. 2. de proc. omn. gent. sal. 1. part. cap. 8. pag. 56. Lucen. in vita S. Xaverii, lib. 2. cap. 22. & novissimè Seraph. Freit. de justo Imper. Asiatico, cap. 18. num. 5. & Hispano sermone tradidit Fr. Anton. de S. Roman. lib. 3. de histor. Orient. cap. 29. pag. 389.

62 qui se, quam D. Ferd. Alvar. de Cast. Proregis Joannis nepos, ut reliquias tanti avi servabat. Sed finiemus tandem hoc caput, si ei pro coronide elegantissima quædam carmina subjecerimus, quæ Lusitanorum in his expeditionibus vir-

tutem & gloriam, in quadam Tragicomœdia Ulyssiponæ recitata, anno 1619. coram potentissimo Rege nostro Philippo III. (immature heu fato nobis erepto) sic verè & luculenter sub divitiarum nationum præconibus extollunt.

CHORUS TRIUMPHALIS.

Aurum ceu calidis fulget in ignibus,
Lucent ut gelidis rydera noctibus,
Ortu dum rutilo nubila dissipant:
Virtus Herculeis pressa laboribus,
Fulget rydereis æmula scabibus,
Robur Lysiacum trans maris æquora,
Insane Thetidos turgida belluis,
Mortalem renuens, quaris Olympicum
Laude triumphum.

Frustra marmoreis manibus undique
Circumstrat pelagus gressibus inivimus,
Ne tellus pateat dissociabilis
Mortali, superat marmora Lysius,
Neptuni rabiidi dentibus inserens
Frenum: rydereæ tentat iter via,
Mortalem renuens, quarat Olympicum
Laude triumphum.

Natura validis claustra repagulis
Cedunt Lysiadis diruta sortibus,
Quid bello valeam brachia lugubris,
Expertus didici Persa leonibus,
Cum sentis gravidas litoris ossia
Naves, Ormusii manibus ultimam
Cladem pollicitar, colla jubentibus
Ni cives domino subdatis Lysio,
Dedant, & properet victor in ardua,
Mortalem renuens, quarat Olympicum
Laude triumphum.

Romanis valuit, Persa cohortibus
Dejectis acie, non semel urbium,
E muris spoliium tendere Martium,
Devictas Aquilas, Lysiacum tamen
Asperat pavidos signa, patensibus
Valeis Ormusii membra lividit,
Ac tandem validis Persia viribus
Succumbens, merium rydereis locat,
Mortalemque negans, quaris Olympicum
Laude triumphum.

Quibus carminibus alia addere licet, quæ novissimè ex Georg. Buchanan. & Jul. Scalliger. adducit Seraph. Freit. ubi supra, cap. 5. num. fin.

CAPUT IV.

De Occidentilibus, & Meridionalibus Novi hujus (ut vocant) Orbis regionibus, & cur India, & America dicta.

SUMMARIUM.

- 1 India Occidentales cur ita dicta.
- 2 Indi, qui hodie dicuntur Occidentales, qualiter olim appellarentur.
- 3 India Occidentales, secundum Ortelium, potius dicitur dici Amazonia, vel Orelania.
- 4 Indias Occidentales vocavit Columbus provincias à se repperas, ut eorum divitias significaret.
- 5 Americæ nomen falso impostum fuisse Orbi Novo à Columbo repperito.
- 6 Americus Vesputius quis, & qua arte sibi Novi Orbis detectorem adrogaverit.
- 7 Christophorus Columbus, ut insulas, sic etiam continentem Novi Orbis primus aperuit.

- 8 Americi fraus, & impostura à Columbo coram Re-
gio Senatu convincitur.
- 9 Alphonsus Oxeda magis quam Americus Novi Orbis
inventor dici debuit.
- 10 Americi fraudem plures auctores aperuerunt.
- 11 Veritas, esse aliquando obscuratur, tandem tamen
emerge.
- 12 Americus ob rei nauticæ peritiam à Regibus Castellæ,
& Lusitanie invitatur.
- 13 Indias Occidentales aliqui Atlanticam vocant.
- 14 Atlantica insula, quæ, & Platonis de ea narratio mi-
rabili.
- 15 Platonis narrationem de insula Atlantica multi veram
esse opinantur.
- 16 Insulas, & terræ tractus plures mare submergere so-
let, & alias etiam detegere.
- 17 Hispania ab Africa, & Sicilia ab Italia maris inter-
ruptione separata.
- 18 Ovidii elegans locus de insulis mari submersis.
- 19 Rhodos & Delos insule repente à marinis fluctibus
emererunt.
- 20 Ægypti Regio olim occupabatur mari Mediterraneo,
& qualiter detecta.
- 21 Peruanum Regni planities, vulgò los llanos del Perú,
olim erant mare.
- 22 Pharon insula qualiter à mari relicta.
- 23 Syrtis Lybiæ quid sint, & unde procedant, cum Lu-
cano.
- 24 Rex Relegatorum 7. §. est quoddam, ff. de interditi-
& relegat. illustratur, & emendatur.
- 25 Ovasis, sive Oasis insula quæ, & pennis deportatio-
nis in eam.
- 26 Oceanus Atlanticus multis seculis inaccessibilis iudi-
catus fuit.
- 27 Mare granineum reperit Columbus in prima naviga-
tione, & an id manserit ex reliquiis Atlanticæ.
- 28 Atlanticæ appellatio non bene conveni Orbis Novo.
- 29 Atlanticæ insule narratio Platonis fabulosa esse pro-
batur.
- 30 Insula plures hodie reperiuntur in mari Atlantico.
- 31 Insula plures diluvii tempore enata, & immutata,
postea vero raro.
- 32 §. Insula, insit, de rerum divis. exornatur.
- 33 Mare granineum, & virens sæpè reperitur.
- 34 Oceanus Atlanticus cur ita appelletur.
- 35 Atlanticus mons & Atlantidis insula ubi, & unde
dicantur.
- 36 Atlas Rex Africa antiquissimus, & fabula de eo.
- 37 Galli voluerunt Orbem Novum appellare Franciam
Antarcticam.
- 38 Fame in templo non dedicantur improba monumenta.
- 39 Orbem Novum aliqui appellant Terram Sanctæ Cru-
cis.
- 40 Brasiliæ Provincia appellatur Sanctæ Crucis, & qua-
re. Et quam injustè hoc nomen vulgus pro Bra-
siliæ mutaverit.
- 41 Indias Occidentales vocantur ab aliquibus, Orbis Ca-
rolinus, & quare.
- 42 Provincia noviter reperte, aut subactæ, à Duce, aut
exploratore nomen sumere solent.
- 43 Carolus V. Imper. symbolum Columnarum Herculis,
cum inscriptione, Plus ultra, cur assumpserit.
- 44 Alexander Magnus plorabat, audiens plures mundos
esse, quod ne unum quidem subigeret.
- 45 Auctor picæ pictæ qualiter exponat symbolum Caro-
li V. Plus ultra.
- 46 Franciscus I. Gallie Rex quid adjecerit symbolo Ca-
roli V. Plus ultra.
- 47 Gloria eximia sapientia fortuna, quam virtutis est be-
neficium.
- 48 Caroli V. virtus, & religio, ejus fortunam prosperam
fecerunt.
- 49 Caroli V. epitaphia.
- 50 Caroli V. laudes, & egregia facinora remissivè.
- 51 Orbis Novus à multis vocantur Indias Occidentales, &
quare.
- 52 America dicitur quarta pars Orbis, & est major tri-
bus aliis antea detectis.
- 53 Europa nihil esse videtur comparatione habita ad In-
dias Occidentales.

- 54 Orbem terrarum qualiter dividat Gerard. Mercator
post America detectionem.
- 55 Orbis universus quot gradus, & leucas contineat, &
quot Orbis Novus Indiarum graduum.
- 56 Jacobi Pontani scrupulus ineptus rejicitur.
- 57 Scandinavia Germania insula, quia magna erat, vo-
cabatur ab antiquis alter Orbis, & etiam Trapo-
bana.
- 58 Americæ, & Indiarum Occidentalium appellatio-
nem auctor utetur, quamvis impropria sit.
- 59 Verbo utendum ut nummo cui publica forma sit.
- 60 Verborum proprietati derogat usus communis lo-
quenti.

Vidimus quæ, quota, & qualis Orbis terra-
rum pars propriè sub Indiarum nomine
veniat, & quantum in illis inquirendis & con-
quirendis Lusitani profecerint: nunc autem ad
institutum nostrum magis accedentes, videamus
oportet, cur idem nomen his etiam provinciis
inditum fuerit, quæ ad Occidentem & Meri-
diem vergunt, & quando ac qualiter à Catholi-
cis Hispaniarum Regibus inquiri, ac detegi cœ-
perint.

Et planè quod ad nomen pertinet, valde
mihi probatur opinio doctissimi & elegantissimi
Pat. Joseph. Acosta. lib. 1. de natura Novi Or-
bis, cap. 14. pag. 36. & in proem. ad libros de
procuranda Indiarum salute, dum tradit, ob id
Indias appellatas fuisse, quod apud veteres In-
dia diceretur remotissima illa regio Orientalis,
quæ fines Orbis terrarum claudere putabatur,
ut supra, cap. 1. retulimus: ex quorum imitatio-
ne nostri nomen ad novas à se inventas regiones
& gentes improprie derivarunt: quæ etiam, ut
plurimum, Occidentis extrema clauderent &
occupabant, quamquam initio non Indi, sed
Insulani, aut Antilliani hi Occidentales Barbari
vocarentur.

Quam sententiam repetit idem P. Acosta in
sua historia naturalis, & morali Indiarum, Hispani-
câ lingua conscripta, lib. 1. cap. 14. & sequitur
Thom. Porcacch. in insulario, lib. 3. pag. 162.
Anton. Posevin. in Biblioth. 1. tom. lib. 9. cap.
15. pag. 368. Camill. Borell. in tractat. de præ-
stantia Reg. Cathol. cap. 46. num. 217. Fr. Greg.
Garc. Dominicanus in tractat. Indiarum origine,
lib. 1. cap. 3. §. 5. D. Sebastian. Covarr. in The-
saur. ling. Castell. verb. India. P. Gaspar. Sanct.
in Comment. in Isaiam, cap. 2. num. 19. pag. 36.
ubi neminem ex prædictis referens, ait: India à
nobis communiter vocatur quæcumque regio antea
incognita longèque disita, quia ex incognitis, lon-
ginq;que regionibus ea, quam Indus sivoius per-
tulit, primum explorata est: Et Abraham. Ortel.
in Thesaur. Geograph. verb. Atlantis insula: qui
subjicit falsò & improprie ab Hispanis has regio-
nes Indias esse appellatas. Quibus si à tu mine
primario nomen imponere libuisset, ut in Ori-
entalibus contigit, Amazonias, vel Orelanias po-
tius, quam Indiam indigissent. Ne hæc ta-
men cum vera India confunderent, eam Occiden-
talem aut Hispanicam cognominarunt, cum al-
tera, Orientalis, aut Lusitanica vulgò vocetur
ab orbis plagis, & Regibus nempe, quibus sub-
sunt, ascitis nomenclaturis.

Eandem rationem, aliis rejectis, sequi viden-
tur Ant. Herrera in hist. general. Indiar. decad. 1.
lib. 1. cap. 6. pag. 23. & Fr. Joan. Torquem. in
Mo-

- 4 Montañeb. Indiana, lib. 1. cap. 7. nisi quod in ad-
jiciunt, hoc nomen obdidit etiam à Columbo
confictum, ut magis ejus Orbis, quem detexer-
at, magnitudinem commendaret, & auribus, ar-
gento, gemis, & aromatibus. aliis Indiis non
esse inferiorem ostenderet, quæ jam tunc à La-
sitanicis perquirebantur. Cui opinioni assenti-
tur Fr. Joan. de la Puente in convenient. patriæ,
que Monarchia, lib. 3. cap. 7. pag. 53. dum ait:
ob id tantum, quod Americana Provincia in re-
mittendis ad Hispaniam thesauris Orientalibus
similes sint, Indiarum nomen illis communica-
tum fuisse.

Sed quamvis improprium hoc nostratum In-
diarum nomen esse fateantur, aut etiam falsum, de
Ortel. affirmat, quod longe tamen improprie, & fal-
sior est alia locutio, quæ apud eundem Ortelian,
& reliquos Cosmographos, in 4. & apud omnes
ubique gentes invaluit, teste Thom. Boz. de signi-
ficat. Dei, lib. 4. cap. 3. pag. 131. & lib. 6. cap. 7.
vers. Sed ne videamur Porcacch. in insulario,
lib. 3. pag. 167. Ortel. in Thesaur. mag. tab. 5. Ma-
gin. Patavin. tab. 34. pag. 279. Petr. Opmeer. in
opere Chronograph. pag. 437. Jacobi. Pontani in
prima tertii progymnasiate 18. pag. 315. Didac.
Valdes de dign. Reg. Hispan. cap. 19. num. 55. &
alii communiter, dum has in universam regio-
nes Occidentales, & Australes, Americam uno
ore appellare solent, quod tantum nomen ab
Americo Vesputio Florentino, qui cum esset Geo-
graphus, & rei nauticæ peritissimus, & Alphonsi
Oxeda, atque aliorum ducum in prioribus illis
hujus Novi Orbis navigationibus, & investiga-
tionibus socius, se primum in eo terram conti-
nentem, quæ ad Pariam incipit, invenisse facta-
vit, & id vulgo persuasit, sparsis ubique relatio-
nibus, & tabellis Geographicis, quas ipse pro-
pria manu scitissime exaravit, & nomine suo his
provinciis, & aliis postea reperitis, impositio. Hoc
etenim falso, & per summam fraudem, & calidi-
tatem ab eo confictum fuit. Nam quod verius est, ut
& priores insulas, sic terram illam, & reliquam
continentem, quæ ad Cummanam usque proten-
ditur, & oras; quæ del Dragon, & de la Sierpe
dicuntur, jam prius à Christoph. Columbo inven-
tas, & signatas fuisse anno 1497. in tertia navi-
gatione & expeditione, quam ad has oras Catho-
licorum Regum Ferdinandi & Elizabethæ jussu, &
nomine fecit. In quorum quod Senatui cum de Ame-
rici fraude, & tanti tituli usurpatione Columbus
causam ageret, & ejus partes Fiscus quoque Advo-
catus defenderet, id manifestis & apertis proba-
tionibus constitit, testimonium inter alios profe-
rentis prædicto Alphonso de Oxeda, cui, si Co-
lumbus deficeret, potius quam Americo hæc glo-
ria tribuenda merito esset, cum in illo itinere, in
quo Vesputius se continentem invenisse factavit,
Oxeda ipse ducem ageret; & Joannes de la Cosa
classis navarchum, uti refert, & ex Regiis Archi-
vibus comprobatur Anton. Herrera. in hist. gen. Ind.
Occident. decad. 1. lib. 4. cap. 24. & 11. & lib. 7.
cap. 1. pag. 224. & decad. 4. lib. 8. cap. 12. & in
descriptione earundem Indiar. Occid. pag. 15.

Et de eadem fraude, & impropria Americæ
appellatione queritur Fr. Thom. Maluend. lib. 3.
de Antichrist. cap. 16. in princ. injustum, & suffi-
ratum hoc vocabulum dicens, cum hæc palma

Christophoro Columbo. Liguri, & Castellansis
deferenda esset, & idem agnoscunt & fatentur
Abraham. Ortel. dict. tab. 3. Opmeer. d. pag. 437.
Carol. Stephan. in dissertation. verb. America. Just.
Lips. de Physiolog. Stoic. lib. 2. dist. 19. doctissi-
mus Berni. Aldrete de antiq. Hispan. lib. 4. cap. 17.
pag. 567. Mosq. de Barneo in Numantina,
cap. 10. fol. 74. qui totam hæc inventionem Co-
lumbo tribuunt, & ab eo magis quam ab Ame-
rico Novum Orbem, Coloniam sive Columbo-
niam, nominari debuisse affirmant: ut si appa-
reat, detectam satis mundo fuisse hujus impostori-
s audaciam; & veritatem per verum gestarum er-
roribus non mutari, illi etiam, §. veritas, ff. de offi-
cio Procid. quoniam potius tantam semper potentiam
habere, ut nullis machinis, aut cõjunctum homi-
nis ingenio, aut arte subverti possit. Et licet in
causis nullum patronum, aut defensorem obti-
neat: tamen per se ipsa defendatur, ut pulchre ait
Cicero in orat. in Latin. qui etiam non minus ele-
ganter in orat. pro Cælio, sic inquit: O magna viri
veritatis, quæ contra hominum ingenia, callidita-
tem, solertiam, contraque fidas omnium insidias fa-
cile sese per se ipsa defendat. Quapropter Trive-
apoli. 48. eam rectè sole similem facturam quæ-
dam admodum à nubibus sæpè intercepturæ, sed nun-
quam nubibus suffocatur: ita veritas aliquando
laborare potest, extingui verò nunquam. Licet
negari non possit, Americum quodque plurimum
ea quæ pollebat industria in his profectioibus ju-
visse, atque idem à Ferdin. Rege Catholico ad
eas invitatum, & nautarum examini, chartisque
nauticis cõficiendis præfectum, ut tradit idem
Herrera. dict. decad. 1. lib. 6. cap. 16. pag. 214. &
lib. 7. cap. 1. pag. 224. Et qualiter etiam ab Em-
manuel. Lusitanie Rege vocatus fuerit, & jussu
ejus duas alias navigationes ad Austrum fecerit,
& Brasiliam Provinciam exactissime exploraverit,
ipse idem Americus in suis relationibus commemo-
rat, & alia de eo tradunt Theat. vita huma-
næ; vol. 20. lib. 2. pag. 365.4. Mach. lib. 2. histori-
Ind. pag. 37. & Fr. Anton. de S. Roman in histori-
Ind. Orient. lib. 1. cap. 2. pag. 6.

Cum ergo his regionibus à Columbo detectis
Indiarum nomen propriè non conveniat, & mul-
to minus illud Americæ, quod eventum ostendi-
mus: Sunt alii, qui putant, melius & pro-
prius totam hæc Orbis partem Atlanticam appella-
ri potuisse, & ita eam appellat Gerardus Mercator,
& alii Cosmographi, quos refert & sequitur
Ortel. in dict. Thesaur. Geograph. verb. Atlan-
tis insula: Theat. vita hum. vol. 5. lib. 3. pag. 1258.
Patavin. dict. tab. 34. pag. 279. Joan. Fungér. in
Etymolog. verb. Atlas: & Opmeer. in opere Chrono-
graphico. pag. 9. eo argumento moti, quod existi-
ment, quod illam verè esse Atlanticam insulam de 14
cujus ingenti magnitudine, ubertate, & divitiis
nobilem illam, & mirabilem narrationem, jam
olim scriptam, reliquit Plaro in Thymeo, sive
Gritia, ubi sic Athenienses alloquitur: Traditur
vestra civitas restitisse olim innumeris hostium cõ-
piti, quæ Atlantico mari profectæ prope jam cunctam
Europam, Asiamque obsederunt. Tunc enim
erat fretum illud columnarum Herculis navigabile,
habens in ore, & quasi vestibulo ejus insulam Ly-
bia simul, & Asia majorem, per quam ad alias præ-
cipuas insulas patebat aditus, atque ab illis ad om-
nia

vii tempore, quo alias, atque alias insulas enatas, immutatasque tradit D. August. & post eum Majol. *diff. collog.* 10. pag. 266. rarum tamen est, & facile non probandum, ut inquit Imperator Jus-
32 tin. *in s. insula, instit. de rerum divis.* & Theodor. *lib. 4. de curat. Græc. affection.* dum generaliter docet: *Mare quamquam inde nubes vim aquarum incessanter exhauriant, imbresque pariunt, terrisque diffundant, imminutum olim exhaustumve esse non cerni, neque ab his litoribus recessisse, quæ olim fluctibus suis obduxit.*

Accedit his, nullum uspiam tantæ insulæ monumentum, nisi fictitium illud Platonis reperiri, nullumque subversionis ejus vestigium alicubi comparuisse: Nam quod de gramineo diximus mari \dagger sapè navigantibus in aliis etiam oris occurrit, ut multis exemplis ostendit Majol. *in locis supra citatis.*

34 Et quod quidam arguunt de \dagger Oceani Atlantici appellatione quam mare illud ab illa Atlantica insula, quæ olim in eo erat, traxisse opinantur, inter quos Just. Lips. *de Physiolog. lib. 2. disert.* 19. confutatione planè non eget, cum certum & apertum sit ab Atlantico monte denominari:

35 \dagger quod scimus in extremæ Mauritaniæ terminis situm, trecentis plus minus millibus ultra Gaditanum fretum, & Herculis Columnas, è cuius regione sita est Atlantidis insula, parva tamen, & ignobilis, ut tradit Plinius *lib. 6. cap. 5. & 31. & lib. 5. capit. 1.* & alii relati ab Ortelio in *Thesaur. Geograph. verb. Oceanus Atlanticus. Atlas*

36 autem mons ab Atlante Promethei fratre nomen accepit, qui antiquissimus Rex Africæ fuisse perhibetur, & Hesperidum pater, & primus Astrologia artem excogitasse, ob quod cœli machinam, atque astra sustinere humeris fabulabantur, & à Perseo in montem eximit altitudinis, qui etiam cœlum tangeret, fuisse conversum, ut constat ex Diôd. Sicul. *lib. 4. cap. 5. & lib. 5. cap. 2.* Cicer. *lib. 5. Tuscul. Herodot. lib. 4. Ovid. lib. 4. Metamorphos. Solin. capit. 37. D. August. lib. 18. de Civitat. Dei, cap. 8. D. Isidor. lib. 14. Etymolog. cap. 8. & ex plurimis aliis Græcis & Latinis Pœtis, atque Historicis, quos latissimè congerit Bernard. Aldrete de antiq. Hispan. lib. 4. ex capit. 10. usque ad 15. & ab eo mutuatus Francisc. Torrelblanca in epitom. de Magia in defension: cap. 5. inter quos Virgil. *lib. 6. Aneid.* sic canit.*

— facit extra sidera tellus.

Extra anni Solisque vias, ubi califer Atlas,
Axem humero tollis, stellas ardentibus aptum.

Silius Ital. lib. 1.

Nec patitur nomen proferri longius Atlas,

Atlas subducto tracturus vertice calum.

Et expressit Pegasus Avienus vers. 105.

Ultima procerat subducit ad astra columnas,

Hic modus est Orbis, Gadit locus, hic tumet Atlas.

Ardens, hic duro torquetur cardine calum,

Hic circumfusis vertitur nubibus axis.

Rejecta ergo Atlantica appellatione, quam aliqui, ut vidimus, huic Novo Orbi tribuere voluerunt, multò magis rejiciendum videtur nomen
37 *Francia Antartica*, \dagger quod ei Galli imponere conati sunt, dum inaniter ostendere cupiunt, se primos illius inventores fuisse sub Villagagnonis Domino, ut tradit Porcacch. in *insulario lib. 3. p. 162.* Nam periit in flore hæc calumnia, quæ in gloria

Hispanorum invidiam à Gallis præcebat: neque uspiam terrarum tale virus vites accepit, \dagger ut
38 sic appareat, in Fama templo non dedicari improba, & petulca monumenta, ut aliud agens tradit Just. Lips. *in cent. 2. ad Belg. epist. 6.*

Neque magis audiendi sunt alii qui, eodem Porcaccho teste, \dagger has omnes novas regiones
39 *Terram Sanctæ Crucis* appellat, nimis quidem imperitè; cum \dagger hoc nomen solùm Brasiliæ conveniat, quam ubi primum Alvarus Capralls detexit, Sancto illo nomine & signo piissimè communivit, ut diximus *suprà cap. proximo, num. 32.* eoque multis annis appellata & cognita fuit, licet postea, dæmonis fortasse astu, *Brasiliæ* appellatio magis invaluerit, à ligno hujus nominis tingendis pannis admodum apto, quod ex ea exportari solet, de quo graviter dolet & queritur Joan. Barr. *decad. 1. lib. 5. cap. 2. & Petr. Dam. Dialog. 5. de var. hist. cap. 2. fol. 338. & Fr. Anton. de San Roman lib. 1. histor. Indic. Oriental. cap. 11. pag. 57.* Quia non debuit ligni Crucis venerandum nomen, quo non solum tincti, sed redempti fuimus, ob alterius ligni nomen omitti, quod ejus comparatione vilissimum est.

Convenientior planè videtur alia appellatio, quam his regionibus communiter impositam tradit Camill. Borrell. *de Reg. Catholic. præstantia, capit. 41. num. 77.* eas nimirum \dagger vocans *Orbem Carolinum*, à nomini invictissimi Imperatoris Caroli V. Hispaniarum Regis Optimi Maximi, sub cuius Imperio, & auspiciis, detectio & conquisitio, à Colombo & aliis Ducibus jussu Regum Catholicorum Ferdinandi & Elisabethæ feliciter coepta, felicissimè ad Mexicanam & Peruanam Provinciam, & alias ditissimas, & latissimas extensa fuit, ut *in capit. seq. trademus.* Pro qua opinione licet ipse Camillus nihil alleget, mihi considerari posse videtur, frequentissimum omni seculo fuisse, \dagger ut noviter inventæ, aut subjugatæ provinciæ à Rege, aut Imperatore nomen assumant, qui de illis cum majore laude triumphavit, ut multis exemplis ostendit Joseph. *lib. 1. antiq. cap. 6. D. Isidor. lib. 9. Etymol. cap. 2. Pereir. & alii, sup. Genes. cap. 6. & 10. M. Mantua in Eneid. lib. 12. capit. 273. Gregor. Lopez Madera de excellent. Hispan. cap. 3. pag. 19. Gaspar. Sand. in Isai. cap. 2. num. 20. & Frater Joan. de la Puente in convent. Monar. lib. 3. capit. 28. §. 2. pag. 174. Gregor. Garcia de Indor. origine lib. 4. cap. 18. & notabiliter Fab. Pictor. lib. 1. de aureo seculo inquitens: Denominare enim, aut imponere gentibus, & locis nominatum, Regum, Ducumque jus est.*

Rursus quia Carolus \dagger ipse hunc titulum sibi assumere velle, appetitè significavit, dum insignibus suis Herculis columnas adjectit, cum illa inscriptione *Plus Ultra*, sive *Plus Outre*, ut legendum contendit Hieron. Ruiscell. *lib. 2. delle Imprese, fol. 28.* quasi diceret, suæ virtuti & fortunæ Herculeum fretum non obtinisse, quamvis ibi Orbem finiri, nec ultra progredi licere veteres credidissent; sed alium novum & majorem Orbem detectum, & quæsitum fuisse, ad quem sui Imperii ac nominis fines, & famam extenderet. Tantè quippe Cæsaris virtus & gloria

ria unius Orbis angustiis claudi non poterat, quin potius illis tamquam stricto carcere circumclusa, non minus aestuaret, \dagger quam olim Alexander Macedonum Rex, de quo Juvenal. *Saty. 10.* scriptum reliquit.

Unus Pelleo juveni non sufficit Orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Us Gidra clausus scopulis, parvaque Scripso.

Alludens nimirum ad illud, quod recenset Valer. Maxim. *lib. 8. cap. 15. Elian. lib. 4. de var. histor. circa finem, Theat. vitæ humanæ, volum. 11. lib. 4. pag. 2573. & Maluend. lib. 3. de Antichrist. capit. 16. pagin. 150.* Alexandrum nempe Anaxarcho Philosopho, ex auctoritate Democriti præceptoris, innumerabiles mundos esse referente, sortem suam tamquam miseram deplanxisse, quòd nec uno quidem adhuc fuisset potius.

45 Sed audiamus \dagger piæ Poesis auctorem, qui ipsius imed Caroli symbolum, & utriusque Orbis Imperium, his carminibus egregè declarat.

Carolus Occidua Princeps Austrarius ora,
Divium Imperium cum Jove Cæsar habet.
Jupiter in celo, terrarum Cæsar in Orbe,
Inter hic humanos imperat: ille Deos.
Nec mirum, Mars fortis enim, sapiensque Minerva.
Dant manibus prenis talibus ausilium,
Parva foris sunt arma, Domi, nisi consilium sit,
Magnanimus prudens Cæsar utroque viget,
Ut nunquam (his velut Herculeis firmata columnis)
Gloria Cæsarei corruat Imperii.
Nec dum finis hic est. Duce, sed virtute sequentem,
Fortunam eventis proferet ulterius.

Et eodem pertinet expositio Ruiscelli *suprà*, Joan. Horoscii Covar. in *Emblemat. cap. 10. Fr. Joan. à Ponte in convent. Monar. lib. 3. c. 21. in fine, & Martini Delr. in Adag. sacris, tom. 2. Adag. 459. pag. 576.* ubi narrat, \dagger quod cum Magnanimus ille Franciscus I. Francorum Rex, Matriti caprus ab eodem Imperatore detineretur, & in pariete dictum ejus symbolum, *Plus Ultra*, scriptum legisset, adscriptis: *Hodie mihi, cras tibi*, fortunæ vicissitudinem ostendere volens, quæ gloriosa illa trophæa mutare solet, & ab aliis in alios transferre. Quod cum Cæsar Maximus perlegisset, ut se mentem adversarii intellexisse monstraret, subscripsit: *Fateor me hominem.* Sed quamvis in aliis vera esse soleat \dagger illa sententia Quinti Curtii *lib. 8. Eximia gloria sapius fortuna, quam virtutis est beneficium*, \dagger in Carolo tamen, cum pietate & virtute solidè niteretur, Deo ejus Religioni, conatibusque favente, non solum mutata non fuit, verum indices magis ac magis extensa, & ad Imperium usque cœlestis producta, ita ut meritò quidam imagini ejus inscriptionem
49 hanc dicere potuerit, \dagger D. Carolus V. Imper. Cæs. cum unum vicisset mundum, adjectus est alter, cum utrumque, vicit utriusque victorem. Nec virtus Plus Ultra progredi potuit, inter calites vicit antequam inter homines esse desineret. Et alter in tumulo hoc epitaphium,

Plus Ultra famam extendit, nomenque decusque,
Quam capis tellus, quam capis Oceanus.
Nec mihi Plus Ultra, quin parva conderet urna.
Profuit, aut magna Martia vis animi.

Tom. I. de Ind. jure,

Quid Regna, Imperium juvens, atque Indicus Orbis,
En gaudet, polis trux Libitina meis,
Plus Ultra tamen, & tantarum gloria rerum,
Inter concessis sidera clara locum,
Invictum animum calo divina locavit,
Virtus, & sanctæ religionis amor.

Et altus: D. Carolo V. Imperat. Cæs. Augusta Max. Indico, Turc. Afric. German. Regi potentissimo & invictissimo, quod ejus ductu auspiciisque, ac nominis auctoritate, gentes Indica omnes, quæ à Septentrione ad Meridiem usque protenduntur, ut jure Novus Orbis appellerentur, tam longè, lateque, patent, auro, argento, gemmis, aromatis, aliisque rarissimis rebus abundantissime per legatos sint inventæ: ac sub Imperium Hispania Regum, magno Christiane Religionis commodo & augmento redactæ: Joanna Lusitania Princeps, Hispaniarum gubernatrix Patri Optim. & Maxim. F. I. De cuius Magni Cæs. laudibus, & egregiis facinoribus plura adjicere supersedeo, quoniam \dagger id exactissime præstiterunt Alphonsus Ulloa, Petr. Mexia, & Prudent. Sandoval. in *ejus vita*, Promptuarium Iconum, pag. 222. & plurimi alii auctores, quos refert Camill. Borrell. *d. cap. 42. num. 78.* & ultra eos Joan. Voerthus, in *lib. singul. Phœnicis sive consecrationis Augustæ per totum, & Alan. Cop. Dialog. 6. cap. 34. pag. 942.* Vide Valdes de dign. Reg. Hispan. cap. 20. num. 14.

Sed licet hæc ita pro appellatione Orbis Carolini defendenda & illustranda non incongruè dictra videantur, \dagger adhuc tamen mihi magis semper arisitis aliorum sententia, qui has omnes regiones Occidentales & Meridionales, de quibus loquimur, generaliter solent *Novum Orbem* vocare. Non quia plures mundos esse opinentur, prout nonnulli male fecerunt, quorum errorem *infra cap. 12. num. 75.* convincemus; sed quia cum veteres totius Orbis terrarum, & circumambientis Oceani effigiem in tres partes diviserint, Africam, scilicet, *Europam & Asiam*, ut diximus *suprà. c. 1. num. 23.* Inventâ denuò hæc, quæ *America* dicitur, eam pro quarta numerare coeperunt, \dagger & *Novum Orbem*, sive *hemisphærium* appellare, ob immensam ejus amplitudinem, quæ tres partes antea cognitæ superare videtur, atque etiam ob diversitatem morum, rituumque incolarum, & dissimilitudinem animalium, arborum & stirpium, ut bene observat Abraham. Ortel. in *Theatr. Magn. tab. 1. & 5. & in Thesaur. Geographia, verb. Atlantidis insule*, Petr. Martyr. in *decadibus*, quibus de Orbe Novo titulum fecit, *Epit. navigat. Americi Vesputii in relation. Novi Orbis cap. 114. pagin. 122.* Præfatio Cosmograph. ad eandem relationes, §. 3. Epitaphium Caroli V. *suprà*, relatum, Joseph. Acost. in *elegantissimis libris de natura & historia Novi Orbis*, Latinâ & Hispanâ lingua conscriptis, Just. Lips. *de Physiolog. Stole. lib. 2. disert. 19. Zurit. lib. 3. Annal. Arag. cap. 4. Joan. Marian. lib. 26. histor. Hispan. cap. 3. Scip. Amirat. lib. 2. discep. Politic. discurs. 4. Genebrard. lib. 4. Cosmograph. ann. 1497. Magin. tab. 34. pag. 279. Petr. Damar. Dialog. 4. cap. 2. fol. 338. Joan. Boter. in *relat. univers. 1. part. vol. 2. lib. 1. pag. 348.* Porcacch. in *insulario lib. 3. pag. 162.* Herter. in *histor. gene. Ind. decad. 1. lib. 1. cap. 4. & in descript. Ind. lib. 1. cap. 1. Torquem. in Monar. Indiana, lib. 1. cap. 2. Didac. Valdes de**

D 2 dig-

dignit. Reg. Hispan. c. 12. n. 7. & cap. 19. num. 55. Henric. Mart. in rept. tractat. 2. cap. 7. pagin. 102. Bernard. Aldrete lib. 1. origin. ling. Cast. cap. 12. Doctis. Joan. Bapr. Valenzuela consil. 82. num. 69. Nos infra cap. 16. num. 24. & seqq. passim Majol. in diebus Canicular. ubi eadem regiones sub appellatione Orbis Novi comprehendit, & præcipue, tom. 1. colloq. 10. pagin. 266. Ubi ait, ¶ Europam, si comparetur cum reliquo Orbe antea cognito, exiguum ejus angulum esse comparatione autem habitam ad hunc nostrum postea reperit, nihil esse, videri posse. Et idem sentit Gerard. Mercator in suis tab. univers. 53 in princip. & Boter. ubi supra. ¶ Ubi totum terrarum Orbem in tres continentes distinguunt: primam faciunt eam, quam diximus, veteres in Europam, Africam & Asiam fuisse partitos. Secundam, quam hodie Americam, vel Indiam Occidentalem vocamus. Tertiam dicunt terram Australem, quam nonnulli Magellanicam nuncupant, paucis hæcenus litoribus detectam.

Quod adeo verum est, ut juxta eosdem auctores, ¶ cum universus Orbis contineat in circuitu, quo maxime patet, milliaria Germanica 5400, sive Italica 21600. hoc est 360. gradus altitudinis, sive elevationis Poli, qui si ad leucæ Castellanae dimensionem reducatur, constituunt 3600. leucas: hæc nova ejus pars, quæ America dicitur, & reliqua, quæ Regibus Castellæ & Legionis inquirenda obtigerunt, centum & octuaginta gradus complectuntur, qui tria millia & nongenta leucarum Castellanae efficiunt, de quo etiam latius agemus infra c. 6. ex num. 6. Atque hic respiciens Joseph. Acost. lib. 1. de natura Novi Orbis, c. 6. merito, inquit nobis, quæ hæcenus certâ fide comperta sunt, satis esse debere, ut Orbis terrarum portionem universâ Europâ, atque Asia & Africa non minorem, ex altera hac parte jacere intelligamus: & utrumque Mundi Polam aequè sibi: & terras & mare vindicare, quod antiquis, aut negare, aut dubitare impune licuit. Et idem probat Thom. Boc. de sing. Eccles. Dei, lib. 6. cap. 7. vers. Sed ne videamur, dum tradit, Has regiones Antipodum recter detectas continere dimidium totius Orbis terrarum, & omnium rerum quas Deum hominibus est fabricatus.

56 Unde ¶ justè rejiciendus venit Jacob. Pontanus in 1. 3. progymnasmate 18. pag. 315, dum nimis scrupulose, aut etiam inepte tradit, se non audere Americam quartam mundi partem vocare, quia de ea neque tam multa adhuc, quod ipse sciat, neque tam fide digna extent literis publicata. Etenim nihil jam eo tempore, quo scripsit, erat certius, aut vulgari, ut ex superioribus 57 satis apparet. Et cum Scandinaviam ¶ Germaniam insulam versus Septentrionem, eò quod maxima, & incompete magnitudinis esset, alterum Orbem terrarum veteres appellarent, ut tradit Plin. lib. 4. cap. 13. & alii relati ab Abrah. Ortel. in Thesaur. Geograph. verbo Brasilia. Necnon etiam Trapobanem, ut patet ex eodem Plin. lib. 6. c. 22. Ibi: Trapobanem alterum Orbem terrarum esse alii existimatum est, Antiochthonum appellatione. Quanto justiori titulo idem nomen his vastissimis provinciis conveniet?

Et hæc plane suntque ultra alios, pro inqui-

rendâ verâ & propriâ istarum regionum appellatione, elucubrare potuimus, ¶ quas tamen in hujus operis discursu non verebimur vulgari, & magis cognito indiarum Occidentium, vel Americæ nomine indigitare, propterea quòd, ut ¶ admodum Quint. lib. 1. instit. orat. utendum est verbo ut nummo, cui publica forma sit, & ¶ vulgaris loquendi usus proprietate verborum potentior est, h. anniculus 132. de verbor. signif. l. Labeo. 7. ff. de supell. legat. l. talis scriptura, 30. ff. de legat. 1. ubi Doctores: cum rude hominum vulgus de exactiori verborum interpretatione & significatione non magno opere laborare solet, ut latè prosequeuntur Alciat. & Brech. in rub. de verb. significat. & plurimi alii relati per Joan. Gutierrez lib. 3. practic. quest. 14. à num. 132. & Hieron. Cevall. commun. opin. tom. 1. quest. 409. & novissimum Marium Burg. in tract. de laudimio part. 1. cap. 1. num. 24. & 25. ubi hoc etiam in verbis peritorum, imò & Principum, legum, & statutorum admittunt.

CAPUT V.

De initio, & progressu detectionis Novi Orbis, & illis, qui in hoc magis meruisse videntur.

SUMMARIUM.

- 1 Hispani Duces, qui Novum Orbem detexerant, laude dignissimi sunt.
- 2 Joannes Baptista Ramusius notatur.
- 3 Memoria eorum, qui pro Republ. præclarum aliquod facinus gesserunt, semper commendari debet, & quare.
- 4 Occultator alienæ laudis furi par est, ibidem.
- 5 Columbi prima laus in detectione Novi Orbis, & ejus patria & mores.
- 6 Columbus quibus argumentis ductus fuerit ad detegendum Novum Orbem.
- 7 Columbus à quodam hospite naufragium passo Novi Orbis notitiam accepisse dicitur.
- 8 Hospes qui Columbo Nobis Orbem notitiam dedit, cujus nationis fuerit.
- 9 Navigationes admiranda fortuitò factæ.
- 10 Ptolemæus Aegypti Rex qualiter ab Indo naufrago navigationem India Orientalis edoctus fuerit.
- 11 Eudoxii Genii ingeni navigatio.
- 12 Trapobanæ insule certior notitia quando & qualiter à Romanis habita.
- 13 Navis ex India vi ventorum in Germaniam portum delata.
- 14 Indi septem Occidentales in portatili cymba tempestate in Galliam delati, & eorum descriptio.
- 15 Columbus qualiter Angliæ, Lusitanie & Castellæ Reges adiecit pro detectione Novi Orbis.
- 16 Columbus tandem à Regibus Catholice ad Orbem Novum inquirendum mandatur, & ejus classe & comætu.
- 17 Novi Orbis ingens, & questuosa detectio ex parvis initiis processit.
- 18 India Occidentales Hispania Regibus utilissimæ.
- 19 Initia rerum magnarum solent esse minima.
- 20 Columbus prima navigatio, & ejus labores, & effectus.
- 21 Columbus plures insulas detegit, & pro Hispania Regibus earum possessionem apprehendit.
- 22 Columbus cum primitiis insularum, quas detexit, ad Reges Catholicos rediit.
- 23 Columbus à Regibus Catholice honoratur, & remuneratur.
- 24 Admiralis, sive Admirantis dignitas quæ, & de vocis etymologia.
- 25 Columbus reperit navigationem in Indiam, & plures alias insulas detegit, & ejus obitus.
- 26 Columbi historia de ovo apud convivas.

- 26 Navigationes in Novum Orbem reputantur.
- 27 Blaschi Nomi de Balboa laudes, & historia.
- 28 Mare del Sur primus nostrorum detexit, & conspexit Balboa, & iter ad illud aperuit.
- 29 Ferdinandi Cortesii laudes, & qualiter Novæ Hispanie Regna detexit, & subegit.
- 30 Ferdinandi Cortesii præclarum facinus in navibus perforandis.
- 31 Naves, qui duces perforaverint, aut incenderint, & qui equos, aut scalas ademerint, ut milites animosius pugnarent.
- 32 Ferdinandi Cortesii patria, & qualiter sortitus, & expertus fuit patrocinium D. Petri.
- 33 Ferdinandus Cortesius natus fuit eodem anno, quo Mart. Lutherus.
- 34 Ferdinandi Cortesii honores, præmia, & obitus.
- 35 Ferdinandi Magallani laudes, & historia in detegendum freto Magallanico.
- 36 Magallanicum fretum quando, & quomodo detectum.
- 37 Magallanus quid fecerit in insula Zebu, & qualiter occisus.
- 38 Magallani socii ad Molucas perveniunt, & diverso itinere in Hispaniam redeunt.
- 39 Joannis Sebastiani à Cano, & sociorum reditus in Hispaniam cum nave Victoria post universum Orbem circumdatum.
- 40 Diem unum Calendarii cur amiserint navis Victoria.
- 41 Joan. Sebastiani à Cano honores, & insignia à Cesare conceduntur.
- 42 Navis Victoria laudes, & memoria.
- 43 Francisci Pizarro laudes & historia in detectione & subactione Regni Peruanæ.
- 44 Milites tredecim qui cum Pizarro manserunt in insula Gorgona privilegii honestantur.
- 45 Atabalpa, sive Atabaliba Tyrannus Perubello capitur, & temere occiditur.
- 46 Præda capti Atabalpæ quanta fuerit, & inter quos distributa.
- 47 Allictores plurimi referuntur, qui ex professo, vel etiam obtiter agunt de historia Indiarum Occidentalium.
- 48 Americae historiae libri, novem voluminibus comprehensæ, & ab hæreticis publicati, cum cautione legendi sunt.
- 49 Gundis. Fernandez de Oviedo historia Indiarum Occidentalium laudatur.

¶ In hujus Novi Orbis indagatione, & acquisitione adeo enituit Hispanæ gentis industria, virtus, atque constantia, ut Græci Herculis facinora, & labores perpassæ à multis merito judicerent. Quapropter ¶ necessarium esse arbitror, aliqua ex plurimis, quæ se se hæc in parte dicenda offerebant, brevier delibare, & nostris quoque licet obscuris, monumentis, eorum Ducum nomina, & præclara gesta, in Memoriae templo consignare, qui in re ita utili, pariter atque ardua, magis excellisse compertuntur. Nec enim scio, ¶ quid, præter nostrorum invidiam, movere poterit Joan. Baptist. Ramusium, dum in proemio 3. vol. suarum navigationem, Hispanos auctores irridet, quod libris suis illorum nomina, & patriam sedulo inquirere, & commendare studuerint.

¶ Semper ¶ quippè justum, & rationi consentaneum visum est, ut bene-generibus laudis tribuatur assensus, & ut gloriosa sit, & diuturna apud omnes eorum memoria, qui pro Republica præclarum aliquod facinus exhibuerint, ut & ipsi audaciores in posterum fiant, & alii eorum exemplis permoveantur, ut tradit Arist. lib. 3. Ethic. c. 6. & lib. 2. Polit. c. 6. eleganter Cicer. in orat. pro Milo. & pro Arch. Poet. Theodos. Imp. in 1. & virtutum, C. de stat. & imagin. Justin. in §. 1.

insti. de excusat. tut. Castodor. lib. 1. epist. 13. D. Gregor. lib. 22. Moral. c. 7. & D. Basil. hom. in Gord. Mart. ubi sic inquit: Sicut enim aromata tunc maxime spirant, cum vel confricantur, vel conteruntur; sic virtutum opera tunc maxime movent, cum laudantis oratione explicantur, sicut etiam oves, Jacob. intuentes virgæ maculosas, & varias similes agnos pariebant: sic juxta exempla, quæ cernimus, sive bona, sive mala voluntas hominis operatur.

Idem quoque Cicero Philipp. 14. nos præclare cum his agere tradit: Quorum virtutem, nec oblivione eorum, qui sunt, nec reticentia, posterorum sepeliri patimur. Et Plat. in lib. de legib. multum laudat Tyrtæum Poëtam, quòd suis carminibus viros bello præstantes extulerit: O divine, inquit, Poëta Tyrtæe, sapiens certe ac bonus nobis esse videris, quia excelestibus eos extullisti laudibus, qui in bello excelluerunt. Cui convenit doctrina Jas. in fin. tit. inst. de action. ubi occultatorem alienæ laudis, furi parem esse dicit, per text. in l. hereditatum, in fin. ff. ad leg. Falc. & Plin. Jun. epist. 8. lib. 5. ubi sic ait: Mibi pulchrum in primis videtur, non pati occidere, quibus æternitas debeatur, aliorumque famam cum sua extendere.

¶ Prima ¶ igitur tantæ detectionis laus omnium 4 consensu Christophoro Colono, sive ut alii vocant, Columbo, debetur. Hic natione Ligur, sive Genuensis ex vico Nervii, non magnæ fortunæ, sed acris ingenii fuit, reique nauticæ peritissimus, & Cosmographus solertissimus, & in Lusitaniam profectus, ut tabulis nauticis conficiendis, & emendandis quæstum faceret, uxore ex insula Madera ductâ, eò commigraverat. ¶ Ibi, ut 5 plures existimant, ex Astronomica disciplina, & nonnullis veterum monumentis, aliisque argumentis, quæ varè vari auctores pro suo captu confingunt, & præcipue Ant. Herrer. in hist. gen. Ind. decad. 1. lib. 1. c. 2. & 3. secum cogitare, & tandem statuere cepit, ultra noti Orbis terminos magna terrarum spatia, quemadmodum in Orientem, ita etiam in Occidentem patere.

¶ Alii verò ¶ tradunt in hæc notitiam, & spem 6 ejusdam hospitis sui relationibus motum, qui naufragium in Oceano Atlantico faciens, vi tempestatis ad terram, nullis antea Cosmographis cognitam, rejectus fuit, quem cum diligenter delinasset, vix tandem ad Maderam appulit: & in domo, & manibus Columbi moriens ei rem omnem in hospitii mercedem aperuit. Cui traditioni multum novissimè defert Torniel. in Annal. sac. tom. 1. ann. men. ii 1931. n. 48. etsi in Columbi fraudem, & ut eum sua gloria privaret, ab Hispanis confictam esse, imprudenter affirmet Hier. Benzo lib. 1. hist. Novi Orb. c. 5.

¶ Hunc ¶ quidam Lusitanum fuisse affirmant, 7 inter quos Pet. Damariz Dial. 4. de var. hist. c. 4. fol. 151. qui inde Lusitanus hujus novi Orbis inventionem tribuendum contendit. Sed alii magis frequenter Bæticum, sive Andalusium nautam, & mercatorem fuisse opinantur, ejusque nomen & patriam in obscuro latere, Deo ita disponente, ne alii, quam sibi negotium adeo ingens homines tribuere possent, ut observat Joseph. Acost. lib. 1. de hist. Ind. c. 19. Fr. Greg. Garc. de Indor. orig. lib. 1. c. 4. §. 1. pag. 65. & Fr. Joan. Torquem. in Monorch. Ind. lib. 28. c. 1. Quanyis nuper Garcia